

324.

1245 d. 5 Aug.

Lyon.

Påfv. INNOCENTIUS IV:s Bref till Ärke-Biskopen i Lund med tillåtelse för tio för kuns-kaper kände Prester, att med sina innehafvande lägenheter förena en eller tvänne andra församlingar.

F. 1: 188. An. 3. Ep. 53.

*Innocentius Episcopus Servus Servorum Dei. Venerabili Fratri . . .  
Archiepiscopo Lundensi Salutem &c.*

Cum sicut ex parte tua fuit propositum coram nobis peritos clericos jugiter oporteat te habere, qui te interdum aliis negotiis occupato, commisse tibi sollicitudinis onera sortiantur, eosque condigna retributione prosequi nequeas juxta suorum exigentiam meritorum, cum beneficia illarum partium adeo modici sint valoris, quod vix aliquis juxta statum persone sue possit de unico congrue sustentari, nos tuis precibus inclinati, tibi gratificari volentes, ac per impensam tibi gratiam aliis providere, Fraternitati tue presentium auctoritate concedimus, ut cum decem Clericis tue Diocesis, qui vite meritis, et dono scientie gratie se coaptent, quod eorum quilibet non obstante si obtinet unicum beneficium curam habens animarum annexam, vel constitutione generalis Concilii super hoc edita, duo alia etiam si similem curam habeant, si ei canonice offerantur recipere valeat, et una cum priore libere retinere, auctoritate nostra dispenses, prout consideratis circumstantiis, et eorum meritis secundum Deum videris expedire. Datum Lugduni Nonis Augusti, Pontificatus nostri Anno Tertio.

325.

1245 d. 5 Aug.

Lyon.

Påfv. INNOCENTIUS IV till Ärke-Biskopen i Lund med tillstånd att till högre Presterliga embeten befordra ett bestämdt antal prester, ehuru de icke voro födde af äkta säng.

F. 1: 190. An. 3. Ep. 54.

*Innocentius &c. Eidem.*

Sincere devotionis affectus, quem ad nos, et Romane Ecclesie credimus te habere, laudabiliter promeretur, ut tuis quantum cum Deo possumus petitionibus annuamus. Cum igitur nonnulli Clerici tue Civitatis et Diocesis defectum in natalibus patiantur, sicut ex parte tua nobis exhibita petitio continebat, tuis devotis precibus inclinati, ut cum quadraginta Clericis eorumdem Civitatis et Diocesis, qui non sint geniti de adulterio, regularibus vel incestu, quod ad majores ordines promoveri, et ecclesiasticum beneficium etiam si curam animarum habeat, eorum quilibet obtinere valeat, dispensare possis, dum tamen honeste fuerint conversationis et vite, auctoritate tibi presentium indulgemus. Proviso ne super hoc que tua sunt queras, sed potius Ihesu Christi. Datum Lugduni Non. Augusti, Pontificatus nostri anno Tertio.